

Q. K. 124,54.

(X2020903)  
*De Elephante Jonnensi.*

Y b  
1933

DECANUS Ord.Philos.  
IN ACADEMIA WITTEBERGENSI,  
GEORGIUS CASPAR  
KIRCHMAJERUS,  
Orator. Prof. Publ. Academ. Senior,  
Imperial. Leopoldinæ Phosphorus  
Secundus,  
PHILOSOPHIÆ CANDIDATIS  
S. P. D.

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA





Um invitandi ad suprema capessenda præmia,  
**D**PHILOSOPHIÆ CANDIDATI sunt, Octobri  
mense, si vixerimus, diribitorum me, distribuenda  
benè meritis, & merituris, tempori inserviturus,  
constitueram initio *Sinensium* Philosophorum, deditorum  
maximè Astronomiæ, & cœlesti adspirante gratiâ, Religio-  
nis Christianæ sacra amplectentium CANDIDATORUM,  
in exemplum sistere memoriam: dum ante hoc triennium,  
Imperatoriâ auctoritate, fidei divinæ, ad Romanos tamen  
ritus ordinandæ, data est solenniter libertas, in extremo O-  
riente. Quando nihilominus laudabili labore hoc, in *Sinensis*  
*novissimis*, defunctus tam est excellenter, Vir Incompara-  
bilis, DN. G. G. LEIBNITZIUS, Electoralis & *Hannovera-*  
*næ* Aulæ, in Senatu eminentiore Columnen ac Decus; ut hanc  
illi gloriam non invidere quisquam debeat, concedam vi-  
ctas manûs, & id argumenti feligam, quod à re antiquissimâ,  
detectâ proximè superiori anno, vexatissimè exercuit inge-  
nia Virorum Celeberrimorum. *Elephantem facere ex mu-*  
*sca*, diu satis hætenus proverbio jactatum fuit. Nunc,  
dum nova pleraque arrident, rideant, qui *muscam faciunt*  
*ex Elephante*. Faciunt, qui animal immane (*Behemoth*)  
ex *Asia*, vel *Africa*, diluvio *Noachico*, cum decumanis flu-  
ctibus promotum, per tot Regna, regiones, sylvas, montes,  
valles, in *Europam*, in *Germaniam*, *Thuringiam* imprimis, &  
relictum *Tonna Castro* esse, dubitant. *Gotbano* tractui  
servata hæc *Antediluviana* bestia creditur, *Deucalione* for-  
san lapides jactante, aut in lapides transfigurante ibi anima-  
lia?



lia? Res memorabilis, si demonstrari posset! digna scripti-  
one lapidariâ, Historiographo imprimis digna. Laudum  
cumulo vehendus est conatus diligentia, candore animi,  
multâq; lectione inclyti TENTZELII; qui in comitatu  
Ducis Serenissimi *Saxo Gothani* tunc versatus, X. Kalen-  
das Februarias, superiore anno, cernuus lustravit, oculisq;  
usurpavit suis petrefactum corpus maximum, disjunctis  
tamen à se animalis artibus, & ex arena erutum per par-  
tes, sceleton; consilium suscepit, Medicis Clarissimis, pro mi-  
nerali fossili pronunciantibus, invitis, scribere Epistolam, &  
petrefactum animal à Diluvio totius olim Orbis obrutum,  
arcessere. Inscripta est Epistola *Hetruriae* Magn. Ducis,  
Potentissimiq; Principis Consiliario, & Bibliothecario æsti-  
matissimo, per omnem latè *Europam*, atque amplius, quâ  
desiit barbaries, propter merita in bonas literas, favorem,  
etiam plerisque *Italii* insolitum (quo Eruditos in *Germa-  
nia* prosequitur, & memet inter mediocres, libris, literis,  
muneribus, ab annis inde plurimis maculare solet;) Illustris-  
simo ANTONIO MAGLIABECHIO. Excitus ad judici-  
um ferendum variis adhortamentis aliunde sum, de hâc ut  
meam interponerem sententiam, materie. Dum, salvâ u-  
triusque partis amicitia, modestè rem expendo, veritati,  
quam pro meta mihi semper figere soleo, ad surrecturus; ve-  
niam, ut spero, dabit Vir Celebratissimus TENTZELIUS,  
si, propter rationum pondera, discessero non nihil ab opini-  
one Elephanti, synchroni *Noacho*. Demonstrationibus  
haud immorabor, à Collegio Medico *Gothano* sobriè alla-  
tis,



tis, pertinentibus ad Anatomicam ἀνείθεον, desideratam  
sæpius, ad partium compagem & cohæsiōnem, in *Tonnensē*  
fossili non occurrentem; juxta symmetriam Geometri-  
cam, ut & proportionis leges. Nec urgebo, calcinationem  
frustra in his locis, ubi marga, tophus, aut arena sterilis fre-  
quentior, sperari. Sulphur foetidum, nitrosum, fixum, ni-  
hil animalis, quanquam petrefacti, arguit in destillatione.  
Instar cretæ calcinatæ, si in furno figulino urgeantur igni-  
bus testacea, & aëri exposita, in pulverem fatiscunt facilè:  
affusâ quoq; aquâ, æstum excitant, ut fit in calce viva. Quin  
& levitas, dum graviori ossa gaudent pondere, ac friabilis  
substantia *Tonnensis* fossilis, naturam sui prodit. Genuina  
a. ossa in naturæ mineralis partus cæmentitios, calcariosvé,  
nescio an transeant? Hûc usque egomet in Regni subterra-  
nei diversis regionib9, ad *Piniferi, Hercynia, Silesia, & Sudet.*  
montes, à XX. annis pluries eò vocatus, in *Hildesiensi* agro  
maximè, per specus & cuniculos profundiores, cernere non  
potui. Id scio, ossa hominum ac bestiarum, nisi succo im-  
buantur lapidifico, (qui in *Tonnensi* terra nulli, ad hoc tem-  
pus, se exhibuit,) tabescere, ac in pulverem abire tandem.  
*Terra homo est, in terram deniq; revertitur:* quidni & Ele-  
phas? Tot annorum millia durare potuisse à diluvio *Noachi*,  
ossa, μέγα λίαν αἴτημα. Confiteor, & largior, in saxe-  
am substantiam, non tantùm ossa, ligna, succos sæpius, sed  
& quandoqve in metallicam transire. Quæ submitteban-  
tur mihi tamen à *Gotthard* Viro Celeberrimo, Consiliario  
Amplissimo, friabilis naturæ erant rudera. Examinata et-  
iam



iam ad vitrum causticum, à seculi nostri *Archimede* altero,  
Incomparabili TZIRNHAUSIO concessum interim, per  
radios solares, combustibile, sed non ad modum ossis, ve-  
rùm mineralis, sedimentum reliquerunt nuper. Fidem su-  
perat humanam, *Elephantina* cadavera ingentia, carne nec  
computrescente, nec ab ossibus solutâ, neque in profundum  
mersâ, ab edacitate temporis aut piscium, immunia, ex *A-*  
*sia* devedta in *Thuringiam* fuisse. Cur non ibi, ubi copiâ  
innumerabili domesticæ sunt velut illæ bestia, aut bellico-  
sæ *Græciæ*, aut triumphanti toties de *Babus Lucis Latio*,  
familiares, non observata ossa talia frequentius? Ideas ho-  
minum, brutorum, partium, operum mechanicorum, ru-  
derum à castris, urbibus, arbuftis, gemmis admiranda, in  
marmoribus *Hetruriæ*, in scissili *Mansfeldico*, in saxis vio-  
laceis *Silesiæ*, & agri *Norici*, ad *Solenbosium*, ut ipse  
met possideo, sic eruditi nōrunt alii, & Curiosi. Ex simi-  
litudine non inferendum est ad rei propriæ præsentiam.  
Quid? quòd non ossibus solummodò, sed & lapidibus inte-  
ritus incumbat, aut solutio; secundum id:

*Mors etiam saxis marmoribusq; venit.*

Affirmare auisim, intra annos mille tantum, aliquoties in-  
aliam mutata terræ, aut liquoris formam ossa animalium  
& carnes; à vitris durabilioribus, & carbonibus, potissi-  
mum Juniperinis, expectari poterit per multa secula im-  
munitas, sub terra. Elephas *Hibernicus* descriptus à *Mon-*  
*lino*, aliâ in plurimis œconomiâ partium gavissus, navi eò for-  
sitan invedtus? ne de monstro suspicari liceat marino. *Fa-*

*bius*



*biius Columna*, *Lynceus*, *Romanus* genere, ac *Neapolitanus* Nobilis, in opusculi de *Purpurâ* dissertatione, additâ de *Glossopetris Melitensibus*, seu linguis serpentinis, multa protulit in lucem rara. *Fungorum saxeorum*, atque *Arbustorum* ingens copia ad *maris Rubri* littora occurrit, teste *Thevenotio*, Itiner. sui l. 2. c. 26. & seq. Auctor est *Boëtius de Bood*, in *Historia Gemmarum lapidumq;*, lib. 2. c. 240. seqq. de cornu agens fossili, *Monocerotis* quod existimatur vulgò, animale illud esse minimè; cum lapis fossilis & *Ceratites*, referens colore ac lævore cornu, sit, naturæ exsiccantis, adstringentis, lingvæ firmiter adhærens. In *Hildesiensi* agro, & *Baumanniano* specu, ad *Elbingerodam*, in *Moravia*, *Silesia*, *Saxoniaq;* passim reperitur. In fossilibus *Hildesiensibus* de Unicornu fossili, sect. 3. c. 19. & 21. memorabilia quædam attulit *D. Fridericus Lachmund*. In pariete *Panormitani* antri *Siculi* figuræ osseæ occurrunt variæ. nam succus ibi lapidificus, margæq; ingens copia, eadem circumstantiæ, hinc dentes generis diversi; qualia ad vera propriaq; ossa nemo sanus temerè retulerit. Eburneæ formæ cornu erutum, in *Calabria* fuisse, refert, non definit *Tb. Bartholin*. c. 37. de Unicorn. Ebur fosfile nil aliud, quàm lapidem, qui cornu imitetur, *Cæs. Scaliger* pronunciat Ex. 137. s. 1. Dari ebur fosfile, aut cornu, adstruit in rerum natural. muséo, *Italus*, *Ferrantes Imperatus* lib. 25. *Olaus Wormius* uberiora exhibet. Quid noster olim princeps intet Præsides illustres, *Bauschius*, postq; eum, *Dn. Hieronym. Ambros. Langenmantelius*, de Elephantum ossibus statuerit, ostendunt *Ephemeridum Decuriæ*,



curiæ, in Acad. Nat. Cur. Ibidem Ann. 3. Dec. 1. agitur de *Ligno minerali fossili*, detecto noviter, à *Francisco Stelluti*, *Lynceo*, ad Cardinalem *Barberinum* libro edito; quod *Metallophytum* vocavit. Dignum admiratione, nusquam notum alibi, existimavit quidem, præter *Umbria* provinciam, *Stelluti*; sed vicina quoque *Schmideberga* nostra, in effodiendo puteo fragmenta cupro- lignea submitit mihi ante paucos abhinc annos. Longius excurri, propter studium Clarissimi *Tentzelij*; de quo ingenuè profiteor, in mensuris Dialogis hoc thema ab eodem adeò expositum propugnatumque; speciosè esse, nihil ut relictum fuerit ad summum. Addo illud etiam, à nullo hætenus Scriptore, si discesseris ab *Aldrovando*, quantitatem Elephanti & proportionem partiû, imprimis autem cornua (an dentes potius?) immanis belluæ tam luculenter, quam à Nostro vestigata.

*Dissentire duos igitur de rebus iisdem*

*Incolumi liceat semper amicitia!*

Sed in viam, à quâ exerravi, redeo. Ad vestros, Artium & Philosophiæ CANDIDATI Optimi, honores respicit hæc scriptio. Miretur *Plinius* turrigeros Elephantorum humeros; docilitatem generosi animalis nos miramur. Rectori ita suo morem gerit, ut illius non sermonem tantum, sed & nutus minimos observet. Corporis immanem molè ad varios ex arte gestus temperat. Choreas ducit ad moderatoris legem, & per funem, in theatro positum, decurrit. Militares motus imitatur, & ad prælia, ad certamina paratur. Signa vibrat militaria, & explodere bombardas novit. Li-

teras



teras & rectè discit pingere, & destinato studio. Vidit *Ælianus* quendam ipse in tabella literas *Romanas* proboscide scribentem non contortè. Quin &, cùm scriberet, dejecti ejus cum rigore oculi fuerunt in tabellam; ut intentos planè diceres, ac scriptitantes. Laudent porrò Elephantis probitatem, castitatem, æquitatem, & cupiditatem gloriæ, qui *Plinium* sequuntur, *Athenæum*, & *Plutarchum*; certum est, pudore tanto victos affici, ut, quando voces audiunt vincientium, diffugiant sessorum etiam invito. Petuntur inde de honestis admonitiones æmulationibus, secundum illud: *Qui velit ingenio cedere, nullus erit.* Insulæ *Zeilane* Elephanti peregrinas quoque lingvas discere creduntur. Simulacra hæc Virtutum sunt, in brutis quidem æstimanda, sed ad Hominis divinitatem umbræ fiunt. Vestra, excitatiores Animæ, Scientiarum, Artium, & Lingvarum lumina, si viam decurratis regiam, illustriores reddere Vos tandem possunt. Agite, agnoscite felicitatis vestræ partem, & per gradûs, ad Honorum culmen enitimini! Doctrinæ solidæ in variis solidiora locis fundamenta posuistis: hujus conscii, fiduciam capeffite luculentissimorum studiorum! Vestra apud me nomina decenter profiteamini! Ex decreto Ordinis Amplissimi Decanus &, εἰν θελήσει κύριος καὶ ζήσων, futurus Brabeuta, spondeo cùm diligentia, tùm eruditioni vestræ præmia, in Philosophicis ac Philologicis suprema. Summus præclarissimarum actionum moderator DEUS, ad cœlestis gloriæ amplificationem, & salutem benè meritorum, gratiam adspiret suam clementissimè! P. P. Festo JOHANNIS BAPTISTÆ, Anno clō Ioc XCVII.





Q. K. 124,54.

DE  
IN AC  
GEO  
KI  
Orator.  
Impe  
PHILC

20903)

Y b  
1933

of.  
ENSI,  
SPAR  
US,  
. Senior,  
phorus  
DATIS

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

